



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Floremundi Raemundi V. Cl. Olim Consiliarii Regis
Galliarvm Ex Calviniano Catholici Synopsis Omnium hujus
temporis Controversiarum tam inter Lutheranos,
Calvinistas quam alios plurimos. Sive Historia ...**

Raemond, Florimond de

Coloniae Agrippinae, 1655

II [i. e. III]. Quibus artibus Volsaeus Cardinalis diuortium inter Henricum & Catharinam apud Pontificem procurare conatus sit.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10880

difficiliores: nec magni aestimari formas, quibus facile est potiri: adeoque difficilem se se præbens tum, vt omnium, quæ in aula erant, seminarum castissima & religiosissima haberetur, tum Regem prorsus suum effecit, qui se felicem iudicabat, si repudiata Catharina, hanc virginem matrimonio sibi copularer. Iam in Gallijs volabat rumor, Annam Henrico nupturam. Agebat tunc in Gallijs Thomas Bolenus, Annæ, vt credebatur, pater, Legatione fungens vnâ cum nobilissimo equite Antonio Bruno. Is ergo, re intellecta, statuit reuerti in Angliam, detecturus Regi de Anna, quod magna eius interesset, quodque ab alio forte postmodum detectum, ipsi Boleno periculum creare posset. Reuersus, impetrata à Rege secreta audientia, rem totam, ob quam venerat, exponit, dum ipse in Francia olim degeret, natam vxori suæ Annam Bolenam: ac se quidem voluisse vxorem ea de causa repudiare, nisi & Rex intercessisset, & vxor aperte facta esset, Annam Bolenam esse filiam Regis: non debere ne per somnium quidem in mentem Regi venire tale matrimonium quod non posset illi esse non probrosum, immo exitiale, quippe si propriam filiam duceret. *Tace, ô folide* (inquit Rex) *centum alij ex æquo tuam vxorem com- prefferunt: cuiuscunque illorum sit filia, certe quidem erit vxor mea.* Tu ad legationem tuam reuertere, & si vis esse consultum vitæ tuæ, rem silentio preme.

Nemo erat in toto Angliæ Regno ex viris cordatis, qui non ab his nuptijs maiorem in modum abhorreret. Præter ceteros, ij, qui ex Regio Senatu erant, memores, sui officij esse Regem tanti erroris admonere, turpem Annæ vitam ipsi ob oculos ponere constituerunt Prius autem in rem totam inquirere ipsis est visum. Eminebat inter Palatinos insignis quidam aulicus Thomas Viatus, qui quum intelligeret, Senatum Regis hoc ipsum agere, ad eum ultro venit, ac se confessus est cum Anna Bolena rem habuisse, nihil minus cogitantem, quam Regem velle ipsam thori confortem facere. Senatus ita instructus, quantis infamiae maculis, atque adeo apertis criminibus Anna Bolena implicata teneatur, quibusque id documentis compertum sit, Regi exponit, addito etiam eo, quod Viatus ultro confessus fuerat Rex amore (cuius ea est cæcitas, vt ne ea quidem ceruat, quæ maxime omnium sunt oculis exposita) flagrans, responderet, nihil se dubitare, quin magna sui obseruantia, & amore, publiciq; commodi studio ad-

ducti essent, vt & ista nunciarent, & tanta cura in rem ipsam inquisissent, se tamen certo credere, omnia illa esse, à nebulonibus suorum consiliorum & pacis publicæ turbatoribus, conficta, atque adeo persuasissimum sibi esse, Annam Bolenam esse honestissimam castissimamq; virginem: nec vllam se ex omnibus, quarum tentasset pudorem, constantiorem Anna expertum esse.

Thomas Viatus ægre ferens, suo verbo fidem non esse habitam, quibusdam ex Senatu dixit; si hoc Regi videretur, se curaturum, vt Rex ipse, vera esse quæ dixisset, oculis suis videret, quantumque Annæ fidelitati fidendum sit, aperte cognosceret: valde enim amabat Anna Thomam Viatum. Quæ rem quum Suffolciæ Dux Regi exposuisset, Rex indignatus, Viatum ex aula sua eiecit & Annæ totam rem narrat, quæ tanta astutia & calliditate crimen suum palliauit & quasi incrustauit, vt eius ream esse, minus etiam quam antea, Rex sibi persuaderet.

Cardinalis Volsæus, confectis ex sententiâ negocijs, præterquã eo, quod maxime omnium concupierat, matrimonio scilicet Catharinæ cum Henrico, in Angliam reuertitur: reuersum Rex monet, vt causam repudij, quantum potest, apud Pontificem promoueat. Iam antea Volsæus Protonotarium suum Gamberum Romam miserat, qui Pontificem doceret, quantum ipsius in libertatem restituendi causa fecisset, eique persuaderet, vt in grati animi testificationem Volsæum, constitueret generalem Vicarium suum per Galliam & Angliam, quoad ipse Pontifex libertatem reciperet, quod factum est septimo captiuitatis suæ mense. At Pontifex, cui ea res parum grata esset, rem distulit, quousque libertas sibi restitueretur. Vehementer abhorrebat Volsæus ab Annæ nuptijs: sed quum tanto studio diuortium Catharinæ sollicitasset, quamuis consilia sua cancrino more incedere animaduerneret, obloqui non est ausus. *Solent peccata secum trahere sua præmia*, ita hujus quoque, quod Volsæus procuraue- rat, mali compensatio fuit, quod spe boni sibi proposita prorsus excidit. Iam causa diuortij in tota Anglia per omnium ora ferebatur, alijs aliter de ea sentientibus. Hi, qui nouis rebus studebant, quique camelorum instar non nisi ex aqua turbida bibendum sibi iudicabant, quum ex tanta rerum commutatione crescere se posse animaduernerent, nouum istud matrimonium approbant, alterum omni ratione im-
pro-

probantes, tanquam illegitimum. Contrarium tuebantur prudentiores, & qui pacem amabant. Quodam die, Rege apud Cardinalem Volsæum agente, lectus est liber diffamatorius, quo Catharinæ matrimonium impugnabatur: certatim enim libri ab utraque parte conscribebantur. Episcopi qui aderant, non aliud dicere ausi sunt, quam ex iis quæ illic in medium proferebantur, iuste posse Regem scrupulum aliquem animo concipere. Est hic mos eorum, qui aulas Principum sectantur, ut malint omnia sursum deorsum ferri, quam ut ipsi veritatem libere proficendo, detrimentum aliquid accipiant. Linguis assentatorum nulla est pestis regibus perniciosior: nec magis metuendi sunt proditores, quam adulatores. *Socrates dicebat, rem eandem esse peritatem cum virtute: & certe qui alteram odit, utramque odit.* Non erat tam hebes Rex, quin placendi causa hæc ab illis proferri intelligeret, detestabaturque in animo suo id quod tum quidem approbare videbatur. Ut verò machinationibus suis colorem aliquem faceret, suæ auctoritate etiam prudentiores in sententiam suam pertraheret, vocat ad se Thomam Morum, qui tunc quidem erat ex regio Senatu, sed postea totius regni Cancellarius factus est, satagens eum, quod in magna æstimatione esset, suarum partium facere. Huic præcipit, ut cum Doctore Foxio Regii Collegii apud Cantabrigiam moderatore, de divortio Catharinæ conferat. Negante Moro, fieri posse divortium, & Foxio contra affirmante, Rex, Morum, quem in sententia perstantem animadverteret, largitione corrumpere aggreditur: sed & hic inexpugnabilis gravissimi viti integritas deprehensa est. Quapropter quum in Anglia parum rem succedere intelligeret, alia eam via tentare statuit. Stephanum Gardinerum jurisconsultissimum virum, qui nuper coeperat à secretis Regi esse, ad Papam unâ cum Francisco Briano mittit, jubetque de libertate reddita Pontifici gratulari, eundemque hortari, ut ad fedus cum Rege Galliarum adversus Imperatorem sese adjungat, sicutamen, ut matrimonium Henrici cum Catharina, præter legem naturæ contractum, & temerè à Iulio II. Pontifice confirmatum, irritum declaret: fore eam rem gratissimam ipsi Catharinæ, cujus ea sit sanctitas, & tale Religionis studiū, nihil ut magis in votis habeat, quam se in monasterium aliquod abdere, utpote quæ omnem mundi pompam,

omnem regium factum contemnat & pro nihilo æstimet. Placeat igitur suæ Sanctitati iudices hujus negotii dare Cardinales Campegium & Volsæum: quod beneficium rã grato animo Rex Henricus sic accepturus, ut stipendia sit persolurus quatuor millibus peditum ad perpetuam custodiã suæ Sanctitatis, quam tot Principes destructum eant. Non moverunt Pontificem tam ampla promissa, nec tam strictæ obligationes, ut annuere Legatorum petitioni. Sed quum apud Urbem Veterem (hodie Orvietum) quo primum ex Adriani mole liberatus se contulerat, Legatorum propositiones audivisset, gratias eis egit, & cur in Gallicum fedus intrandum sibi hoc tempore non putaret, rationem reddidit: addiditque, quod ad causam divortii attineret, se, an legitime fieri posset, dispecturum: & si posse constaret, omnia Henrici causa facturum, eosque, qui eo nomine molestiã ipsi exhiberent, adversarios habiturum: interim ipsi ea de re cum certis Cardinalibus & Theologis agerent, qui de negotio pronuntiaturi essent. Non poterat aliud responsum Legatis dari: magnusque error foret, imprudentiæ Pontificem accusare, quum singulari sapientia in hoc negotio fit usus. Cardinales & Theologi, rationibus atque argumentis Legatorum perspectis, examinatisque omnibus, quæ in utramque partem disputari poterant, uno consensu responderunt, *rationes à Legatis adductas non sufficere ad divortium concludendum, minimeque esse matrimonium inter Regem Henricum VIII. & Serenissimam Catharinam illegitimum: ideoque opus non esse, ut aliis hujus rei iudices dentur, multoque minus, ut permittatur negotium Angli, qui in gratiam Principis sui justitiam pedibus sint conculcaturi.*

Legati vehementer hac sententia offensi, benignius responsum se à sua Sanctitate expectasse, apud Pontificem questi sunt, affirmantes, aliis Theologis Romanæ curiæ aliud videri: & si matrimonium Henrici jure divino interdictum non fuisset, tamen Regem ostensurum, ipsius Iulii dispensationem minime fuisse canonicam aut legitimam. Pontifex, cupiens & Regi gratificari, & conscientiam suam illæsam custodire, *Faciam, inquit, Regis causa, quidquid jure facere mihi licebit. Ceterum agitur jam de Sacramento Ecclesiæ, quod quum sit juris divini, nihil in eo nobis innovare licet: & agitur de matrimonio fidelium, auctoritate decessoris mei contracti, viginti annorum cohabitatione firmato, & denique prolis fructu corroborato. Addit, prævidere se magnum bellum*

inter

inter Regem ipsorum & Imperatorem, qui tantam injuriam non sit in ultam passurus: sui autem officii esse ut qui sit communis Christianorum pater, providere, ne quid turbari in Christiano orbe exoriatur. Nihilominus tamen, ut illius benevolentia, qua Regem ipsorum complecteretur, fidem ipsi faceret, efficeretque ne temere decisum fuisse hoc negotium merito alicui videatur, iterum se Regis causam alius Cardinalibus & Theologis cognoscendam commissurum.

IV. Novi hi judices, quamvis judicarent, Romæ hanc litem decidendam esse, tamen ob Regis, qui & libro edito fidem Catholicam defendisset, & armis summum Pontificem in libertatem alleruisset, in Ecclesiam merita, cupientes ipsi gratificari, statuerunt judices in Angliam dandos, qui litem dirimerent. Existimabant enim, ut ut caderet, non futuram rem adeo difficilem, quin remedium è vestigio adhiberi posset, Pontifice judicum acta rescindente, & causam ad se revocante.

Hæc autem posterior sententia valuit apud Clementem, partim gratiæ Henrici nimirum ut quidam suspicantur, dantem, partim nihil suspicatum, quod falsa essent illa omnia, quæ de Catharinæ vel assensu, vel monastica vita passim spargeretur. Dati sunt ergo judices. Laurentius Campegius, & Thomas Volsæus. Regina, cui unde quaque insidiæ struebantur (Nam velut umbra, sole nubibus obducto, evanescit: ita qui nihil aliud, quam felicitatis eorum, quibus suam operam addixerunt, splendorem sequuntur, adversitatum nebulis prioris prosperitatis lumen offuscantibus, nusquam comparent) de his, qui ad urbem mittebantur, Legatis certior facta non fuerat. Attamen simul ac tale quid suspectum habere coepit, petiit à Pontifice per literas, nisi & se destructam, & causam suam justitiam oppressam vellet, ne quam legationem in Angliam de hoc divortio cognituram mitteret. Simulque à Carolo V. Imperatore summis precibus contendit, ne se afflictam desereret, cui vita mille mortibus sit molestior, cuique omnes iste inimicitia ob ipsius Cæsaris odium sustinendæ sint. Carolus, qui Pontificem dimittendo universum Cardinalium Collegium sibi demeruisset, Legatum summa diligentia Romam mittit, perque eum apud Pontificem quaritur, tam de nunciis à Rege Angliæ in Urbem inscisa Regina (de cujus tamen honore præcipue agebatur) clanculum missis, quam de iudicibus in ipsa Angliæ, ubi omnia ad nutum Regis agenda sint, datis non defuturum se materia sua, sed, nisi justitia causa sua obtineat, Angliam armis invadere paratum esse:

solam fornicationem harum turbarum originem esse, nec aliam ob causam Regem uxorem suam repudiare velle, quam ut perdisissima femina, quam perditæ depereat, fœdis amplexibus fruatur.

Pontifex quum intellexisset, suggestionem Regis Angliæ Legatorum falsam fuisse, quatuor nuncios celerissimo cursu, diversis itineribus ad Campegium misit, per literas ei mandans, deinde quum in itinere quam tardissime progrediatur: deinde quum in Angliam venerit, omnem operam ad Regem cum Regina conciliandum interponat, in quo si non profecerit, Serenissima Regina Religionis ingressum persuadere conetur; denique ne ullam in causa divortii sententiam absque novo & expresso ipsius Pontificis mandato ferat. Hoc (inquit) summum maximum sit tibi mandatum. Aliis vero literis Viterbii datis, plane significat, si de sua tantum persona ageretur, se omnia pericula in Regis Henrici gratiam subiturum: sed nunc illius voluntati absque injustitia & publico totius Ecclesiæ scandalo satisfieri non posse.

V. Campegius nonis Octobris Anno 1528. Londinum ingressus, statim à Volsæo ad Regis palatium deductus est: ubi Rex & duo Cardinales de suis rebus multum diuque colloquuti sunt. Diebus aliquot interpositis, Campegius Reginam hortatur, ut pacis causa tempori cedat, seque tot ærumnis, quibus quotidie angatur, eximat: longe & honestiorem & jucundiorum illi futuram vitam monasticam ea quam nunc agat, moriens, quamvis sit viva, quotidie. Respondet illa, se quidem ultro dudum huc propendere, sed quum videat id agi, ut vi ad Religionis ingressum compellatur, constitutum sibi esse, eo magis resistere, matrimoniumque suum, ad quod divinitus vocata sit, constantissime, quoad vivat, tueri; nec se iudices istos recipere, utpote sibi suspectos, & per mendacia à Pontifice extortos: Volsæum totius huius mali primum auctorem fuisse, propterea quod spe Pontificia dignitatis obtinenda excidisset, nec Carolum Imperatorem conatibus suis faventem esset expertus. vehementer offendit Volsæum (ut veritas plerumque odium parit) hoc responsum Regiæ, causæque ejus adhuc iniquiorem fecit. Verum est, quod dicitur, linguam in corde esse, non autem debere cor vicissim esse in lingua: & sæpenumero evenit, ut iis, qui ad optatos consiliorum suorum successos pervenire cupiunt, aliud sit expromendum lingua, aliud pectore clausum gerendum. Ariston dicebat, plurimum nocere eos ventos, quorum flatu denudamur. Regina, cui plurimum ea res incommodabat, tot incurren-